Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1751
Quelle:
Copyright:

Fol. 95. *De bona pacifica vita cum resignatione propria.* Initium: *Si vis deo digne uiuere* &c. ut T. *cit.* p. 276.

Fol. 96. p. 2. *De eleuatione mentis ad inquirendum summum bonum.* Init: *Uacate et videte* &c. ut T. *cit.* p. 258.

Fol. 101. *De verbo incarnato eterno et immenso super omnes docentes animam illuminante.* Initium: *Lucerna pedibus meis* &c. ut T. *cit.* p. 260.

Fol. 106. *De estuanti desiderio anime cum fuerit visitata a verbo vnico sponso suo dilecto.* Initium: *Domine ante te omne desiderium* &c. ut T. *cit.* p. 262.

Fol. 107. *Oratio de abrenuntiatione omnium mundanorum.* Incipit: *Domine ihesu christe spes mea* &c. ut T. *cit.* p. 266. Atque hanc sequuntur IV. aliae eodem ordine, quo in Impressis. Duae igitur desunt in Codice, qui clauditur: *Explicit liber thome kempis.* Qui Autorem LL. *de Imitatione Christi* norunt, facile etiam de hisce Opusculis ferent sententiam.

DCCXXVIII.

R. 3093 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 195. 4. non una manu, nitidissime tamen perscriptus, rubricis comtus, et postremo, antequam Bibliothecae nostrae inferretur, *Monasterij sancte Dorothee in Vienna* complectitur I. *Regulam sancti Benedicti Abbatis*, cujus Prologus incipit: *Ausculta o fili precepta magistri* &c. Sequitur Index *Capitum* 73. quorum primum: *Monachorum quatuor esse genera manifestum est.* Omnia, prout saepe typis vulgata, et nominatim in *Holstenii Codice Regular.* edit. *Brockianae Aug. Vindel.* 1759. T. I. p. 113. f.

II. *fol.* 33. *Incipit prologus dompni Bernhardi venerabilis Abbatis Casinensis in expositionem regule beati Benedicti Abbatis.* Ita quidem: *Legitur in prouerbijs. doctrina prudentum facilis. Ideoque qui sapientiam docere student. non subtilitates. sed profectus discipulorum et vtilitates querere debent.* Ad quos Expositionem suam dirigat, audi: *Cum igitur dilectissimi fratres Thoma decane. et Conuentus sacri monasterij Casinen. ipsius beati institutio Benedicti — obscuritatem nullam prorsus noscatur lecta cum studio continere. mirandum quod beati patris nostri regulam declarari petitis plenius et exponi. Precipue cum smaragdus abbas. paulus. petrusque dyaconi monachi casinenses — sue uobis expositionis reliquerunt scripturas. quas in bibliotheca monasterij reseruatis.* Expositionis modus is est, ut singulas Prologi et ipsius Regulae πεφικοπας minio ex integro praescriptas verbis suis illustret. Ita v. g. *Obsculta o fili precepta magistri* &c. Obsculta. *Alia litera habet.* absculta. *Quod quidem dicunt esse rectius. tenetur tamen aptius dictum.* obsculta. *nam* ob *ponitur pro* simul. *sicut ibi.* Obaudite *me diuini fructus. Et sicut dicitur.* Obtempera o fili. *Interie-*